

contractus vel pactum obstet, quia cuius etiam infideli, et hæretico fides servanda est prout amplius diximus supra num. 150, merito tamen num. 151 addentes, nisi nova justa causa superveniat, ob quam juste ejici valent, ut si v. g. periculosas machinationes, aut alia enormia, vel graviter præjudiciosa præparant, aut perpetrant contra veram religionem, principem, provinciam, pacem publicam, etc., juxta dicta num. 151, et tit. præced. num. 8.

227. — *Doctrina practica.* — Cæterum ex conclusione infertur, non solum posse, sed et teneri principem Catholicum, qui in suo territorio hæreticos nunquam recepit, vel semel receptos, juste iterum expulit v. g. imperatorem, regem Galliarum, Hispaniarum, etc., bellum, contra hæreticos gerere, et bello illo impugnare, si v. g. in Bohemiam, Austriam, Galliam, Hispaniam se rursus intrudere vellent, aut ibidem occulto intrusi jam invalescere inciperent, aut si proprii subditi a vera fide deficere attentarent.

228. *Princeps catholicus ob solam causam hæresis non potest propria auctoritate bellum gerere contra hæreticos sibi non subditos.* — Resp. II. Quamvis princeps Catholicus propria auctoritate non possit ob solam hæresin gerere bellum contra hæreticos sibi non subditos, tamen licite, et merito hoc potest, auctoritate summi Pontificis ad id exhortantis, suadentis vel mandantis. Prima pars conclusionis patet ex dictis in simili de Judæis, tit. præced., ob easdem vere rationes, præsertim vero, quia caret omni jurisdictione, etc.

229. *Bene vero auctoritate Papæ.* — Secunda pars probatur; quia Papa tanquam supremus et universalis Ecclesiarum Pastor habet jurisdictionem in omnes Christi fideles, etiam hæreticos, utpote qui per baptismum tanquam januam, Ecclesiam ingressi, veri subditi illius facti sunt, et semper manent; etiamsi in facto rebellis et inobedientes ei sese exhibeant; consequenter sicut princeps profanus suos subditos rebelles, vel a fide deficientes et ad hæresin deviantes bello coercere, et expugnare potest per dicta num. 225, sic idem per se, vel per alios ad id invocatos, aut demandatos, atque hi de voluntate vel mandato, consequenter auctoritate ipsius poterunt.

230. Confirmatur. Præcipua ratio, quare non liceat principibus Catholicis Judæos, aut infideles propter solam infidelitatem,

aut Judaismum impugnare est; quia deest eis jurisdictio puniendi, et bello coercendi infidelitatis crimina alienorum sibi non subditorum, prout amplius diximus tit. præced., num. 47., atqui hæc ratio cessat in casu, quo princeps Catholicus ob solam hæresin bellum gerit contra hæreticos sibi non subditos, auctoritate summi Pontificis, utpote cui plena competit jurisdictio etiam in hæreticos, et in crimina eorum, non obstante rebellionem illorum: imo quo magis eidem rebelles sunt, eo majorem causam habet, illos bello per se, vel per alios coercendi; præsertim ubi eos nimium invalescere, et nisi bello coerceantur, pacem Ecclesiarum per eos turbari, graviaque mala, ac præjudicia inferri, aut certo Ecclesiarum immutare cernitur; quia sicut juxta dicta, rebellio subditorum erga principem seu potestatem sæcularem, aut si per illos pax reipublicæ injuste turbatur, justam causam principi præbet, subditos bello coercendi, ita multo magis justam causam belli præbet si subditi rebelles sunt contra potestatem, et caput suum spirituale, pacemque reipublicæ Christianæ seu Ecclesiarum Catholicarum perturbant; cum hæc rebellio longe pejor sit illa, et longe majus malum commune sit turbatio pacis respectu religionis et Ecclesiarum, quam politicæ reipublicæ.

231. Accedit, quod hæretici una cum pace Ecclesiarum plerumque etiam perturbent pacem reipublicæ politicæ; tum quia, ubi non est unitas fidei ibi pax reipublicæ diu conservari nequeat; tum quia hæretici sunt superbi, ubi autem superbia, ibi discordia.

232. Nec dicant hæretici, se nec reipublicæ politicæ, nec Ecclesiarum turbare pacem. Nam contra exempla clamant innumera, et continua quasi experientia, qua constat, quas turbationes tam respectu Ecclesiarum, quam respectu reipublicæ politicæ ubique semper causarint, et etiamnum causent hæretici. Quis enim vel parum eruditus ignorat, quas turbationes respectu utriusque causarint in toto Oriente Ariani? quas in Græcia Macedoniani? quas in Africa Donatistæ? quas in Romano imperio Lutherani et Calvinistæ? quas iidem in Hungaria et Polonia? quas Hussitæ in Bohemia? quas Hugonotæ et Calvinistæ in Gallia, Anglia, Belgio? quos hæreticos subditos suos, sive alienos propria, sive aliena, videlicet Pontificia auctoritate, si principes Catholici seposita omni æmulatione, ac inordinato amore,

aut interesse proprio saltem in principio, antequam invalescebant, bello compescuisent, innumera eaque gravissima tam Ecclesiarum, et religionis, quam reipublicæ communia mala, ac innumerabilium animarum ruinam videre non fuisset, nec de facto esset.

233. Dicitur autem notanter in conclusione: Nisi publicæ validæque pacis, aliisque legitimis contractibus, aut pactum publicum obstet; quia sicut infidelibus, sic etiam hæreticis servanda est fides publica, arg. I. *Sicut*, 5. C. de *Obligat. et Act.*, et c. *Noli*, cau. 13, q. 1, cum concordantiis. Et ad longum probat Layman, lib. II, tract. III, cap. XIII, num. 15, per totum, ubi etiam docet, quod principes Catholici fœdus, aut pacem publicam cum infidelibus, aut hæreticis initam, Papa tollere aut relaxare etiam ex parte Catholici nequeat; quæ tamen intellige; dummodo tale fœdus, aut alius contractus publicus ex objecto malus vel iniustus non sit; nam hoc ubi esset, utique etiam publicum hujusmodi fœdus, aut pacis tractatum tollere et relaxare, posset prout actu fecit juxta dicta supra numer. 154. (ADNOTATIO XX.)

§ V.

DE PŒNIS SPIRITUALIBUS HÆRETICORUM.

Notandum, duplicis generis esse pœnas contra hæreticos utroque jure latas, spirituales videlicet, et temporales. De illis in præsentibus, de istis vero in sequenti § agemus.

234. *Sola hæresis formalis.* — Quæritur itaque I. Quænam hæresis, et quas in compendio contrahat pœnas spirituales? Resp. I. Omnis, et sola hæresis formalis externa spirituales pœnas coram Deo, et in conscientia contrahit. Communis, et certa. Ratio primæ partis, videlicet, quod omnis, et sola formalis, pœnas secum trahat, est; quia materialis hæresis, nec vera hæresis, nec culpa, vel peccatum est juxta dicta supra n. 12, consequenter nullam pœnam meretur. Palao, de *Hæresi*, tr. IV, disp. 3, n. 16. Sanchez, lib. VII, cap. VII, num. 8, cum ubi nulla culpa, ibi nulla sit pœna, per vulgaria juris.

Dicitur autem notanter, coram Deo, et in conscientia, quia in foro externo quævis hæresis externa ordinarie præsumitur for-

malis; cum judices tam ecclesiastici, quam sæculares in foro externo judicent secundum externa, hoc ipso, quod interna cognoscere nequeant, c. *Sicut*, 33, de *Simoniacis*. Farinacius, de *Hæresi*, q. 179, num. 55 et seqq. Palao, loc. cit., num. 17, bene advertens, quod alias quivis hæreticus pœnas in foro externo facile eludere posset dicendo, se interne aliter sensisse, et veram habuisse fidem.

235. *Externa contrahit pœnas spirituales.* — Ratio secundæ partis, videlicet, quod omnis et sola hæresis externa pœnas secum trahat, est, quia cogitationis pœnam nemo patitur, can. *Cogitationis*, 14, de *Pœnitent.*, dist. 1, cum Ecclesia, quæ non judicat de occultis, c. *Sicut*, 33, de *Simoniacis*, sed tantum de manifestis, occulta et interna, seu mentalia districto judici Deo (qui scrutator est cordium, et secretorum cognitor) relinquit puniendam, c. *Tua nos*, 34, eod.

236. *Quid requiratur, quid sit et dicatur externa?* — Ubi tamen advertendum, hæresin externam, in ordine ad contrahendas pœnas spirituales, sufficienter esse et dici, si signo, verbo, vel facto aliquo hæresin internam sufficienter expressivo in ordine ad eam extreme manifestandam posito, aut prolato manifestatur, etiamsi quis in occulto, et nemine prorsus præsentem id faciat. Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. VIII, num. 6. Pirhing, h. t., num. 16. Layman, lib. II, tr. I, cap. XIV. Barbosa, de *Offic. et Potestat. episc.* Allegat. 40, num. 10, cum communissima tam theologorum, quam canonistarum. Ratio est, quia verba, signo et facta hujusmodi externa, quibus hæresis interna quantumvis in occulto, et nemine præsentem manifestatur, ex natura sua sunt cognoscibilia, et judicio Ecclesiarum subjecta; per accidens autem est, quod hic et nunc sint occulta, nemine præsentem edita: siquidem ex hoc præcise habetur, quod puniri nequeant pœna per accusationem, vel cognitionem judicalem, minime vero, quod plecti non valeant pœna, quæ ab ipsa lege, vel canone jam est imposita, et quæ nec accusationem, nec cognitionem, nec sententiam requirit judicalem, qualis est excommunicatio. Exemplificatur hæc doctrina infra num. 243 et seqq.

237. *Pœna spiritualis hæresis enarrantur in compendio.* — Resp. II. Hæresis formalis externa sequentes annexas habet pœnas spirituales, videlicet I, est, excommunicatio major. II. Irregularitas. III. Inhabilitas ad

officia, dignitates, et beneficia ecclesiastica. IV. Privatio eorundem etiam prius rite obtentorum. V. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ. VI. Quod hæresis parentum afficiat, et ad officia et beneficia ecclesiastica inhabilitet filios, ac nepotes etiam Catholicos. VII. Quod intuitu, et dolo hæresis Catholicis privetur beneficiis per preces hæretici acquisitis, simulque inhabilis fiat, ad illa, et alia. Quæ cuncta clare patebunt ex sequentibus; quia pro majore claritate et intelligentia harum poenarum, de quavis earum specialem ponemus questionem. Itaque:

238. *Quevis hæresis ipso facto inducit excommunicationem Papæ reservatam.* — Quæritur II. — An, et qualiter hæretici, eisque credentes, ac receptores, fautores, et defensores eorum subjaceant primæ poenæ spirituali, excommunicationi videlicet? Resp. I. Certum est, omnes et singulos, cujuscunque nominis existant, hæreticos formales externos ipso facto subjacere excommunicationi majori Papæ reservatæ. Unanimis et certa ob clara jura c. *Sicut*, 8, c. *Ad abolendam*, 9, c. *Excommunicamus*, 13, h. t., ibi: « Excommunicamus, et anathematizamus universos hæreticos, etc., quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas; quia de vanitate conveniunt in idipsum, » etc. cum Concordantiis. Accedit Bulla Cœnæ hanc excommunicationem soli Papæ reservans, § 1, ibi: « Excommunicamus, et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti auctoritate quoque Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Wiclephistas, Lutheranos, Zwinglianos, Calvinistas, Hugonotos, Trinitarios, et a Christiana fide apostatas, ac omnes et singulos alios hæreticos: quocunque nomine censeantur, ac cujuscunque sectæ existant. »

239. *Si est formalis.* — Verum ut quis ob hæresin dictæ excommunicationi subjaceat, sequentes requiruntur conditiones, videlicet I. Ut quis sit hæreticus formalis, juxta dicta, num. 234. Hinc rustici, et alii plebei Lutherani, et Calvinistæ, si redeuntes ad fidem nostram soli materiales hæretici fuisse cognoscuntur, in foro interno a quolibet absolvi possunt, uti bene advertunt Layman, lib. II, tr. I, cap. XIII, num. 4. Pirhing, h. t., num. 16, quamvis laudabilis plurium dicecesum consuetudo ubique merito, imitanda habeat, quod etiam tales mittantur ad epis-

copum, vel eos, qui specialem facultatem absolvendi ab hæresi habent, ut ibidem quoad utrumque forum, emissa etiam publica fidei professione absolvantur; idque pro majori securitate fori non tantum externi, sed etiam interni; cum sæpe dubium et periculum sit, an non tales sint, vel fuerint etiam hæretici formales.

240. *Et externa.* — II. Conditiō est, ut hæresis sit externa, modo, num. 236, explicato, ob rationem ibidem allegatam. Hinc hæreticus mere mentalis, seu internus a quovis absolvi potest, utpote excommunicationi minime subjectus.

241. *Animo eam asserendi manifeste seu externe prolata.* — III. Conditiō est, ut actus externus, quo hæresis interna manifestatur, fiat animo et intentione asserendi seu profitendi hæresin. Sanchez, lib. II, cap. VIII, n. 7 et 17. Layman, loc. cit., cap. XIV, n. 3. Pirhing, h. t., num. 19, cum communi. Ratio est, quia excommunicatio lata est propter externum peccatum hæresis; quale non est nisi illud, quod ab interna hæresi procedit, et informatur, quod fit, dum quis eam actu externo asserere, et profiteri intendit.

242. *Atque peccaminosa.* — Additur communiter conditiō IV, videlicet, ut actus externus, quo res interna proditur, sit moraliter malus. Verum hæc conditiō in præcedenti jam includi videtur: quia quandoocunque actus externus fit animo asserendi, seu profitendi internam hæresin, jam hoc ipso est moraliter malus, etsi alias ex natura sua talis non esset uti bene advertit Sporer, t. III, tr. in *primum præceptum Decalogi*, cap. III, num. 33.

243. *Doctrinæ practicæ ad propositum de hæresi formali externa.* — Cæterum ex dictis conditionibus infertur, vere incurrere excommunicationem illum, qui hæresin, cui interne adhæret, v. g. non dari Purgatorium; Christum non esse Deum; præcepta Ecclesiæ non esse servanda, etc., verbis, scriptis, vel alio signo externe sufficienter expressivo, animo eadem asserendi, seu contestandi vel profitendi, manifestat: v. g. qui etiam solus secum loquens dicit: « Non datur Purgatorium; Christus non est Deus; » vel qui animo eadem profitendi die Veneris comedit carnes; vel die festo non audit Missam; coram sanctissimo Sacramento non flecit genu, caput non denudat.

244. E contra ab excommunicatione immunem esse I. Qui hæresin animo concep-

tam externe manifestat alteri, consilii gratia; vel ut ab eo magis instruatur; quia hic actus non est peccaminosus.

245. II. Qui legendo, narrando, disputando, externe profert hæresin, quam interne fovet, non animo eam confirmandi, aut exprimendi, sed præcise legendi, disputandi, aut narrandi gratia; quia non profert illam ut propriam, sed ut alienam; consequenter deest secunda conditiō.

246. III. Qui hæresin suam internam externe quod profert, verbis tamen, aut signis ex natura sua eadem non sufficienter exprimentibus; v. g. si quis interne credens, Christus non est Deus, vel Christus non est sub speciebus panis aut vini; externe solum diceret, non est Deus; vel credo sub speciebus non esse; quia hæc verba non sufficienter expriment dictam hæresin, nec posset Ecclesia ex illis solis alioquin hæresis reum judicare; cum ex se sint indifferentia, et posset quis subintelligere, et dicere velle: « Murus non est Deus; credo sub speciebus non esse solum hominem, etc. » deest ergo in similibus tertia conditiō. De his, a num. 243, positus et aliis pluribus hujusmodi exemplis videri poterit. Sanchez, cit., c. 8, num. 8. Layman, loc. cit., a num. 1. Pirhing, h. t., a n. 16.

247. *Excommunicationem dictam Papæ reservatam ipso facto incurrunt etiam credentes hæreticis.* — Resp. II. Non tantum hæretici, sed etiam credentes eis, receptores item defensores et fautores eorundem excommunicationi summo Pontifici reservatæ subjacent. Rursus certa ac unanimis claris juribus, cit. c. *Excommunicamus*, 13, h. t., ibi: « Credentes præterea, receptores, defensores, et fautores hæreticorum excommunicationi subjacere decernimus, » cum concordantiis; et Bulla Cœnæ, quæ textu num. præced. allegato immediate subjungit: « Ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores. »

248. Credentes autem ad propositum censentur non tantum illi, qui uni alterive errori hæreticorum contra fidem credunt, et signo externo assentiunt, sed etiam, qui in communi eis assentiunt, v. g. verbo vel facto externo manifestantes, se credere quidquid Lutherani, vel Calvinistæ credunt. Barbosa, in c. *Excommunicamus*, 13, h. t., num. 20. Pirhing, h. t., num. 106. Navarrus, *Manual.*, cap. XXVII, n. 55. Layman, lib. II, tract. I, cap. XIV, num. 5, et alii bene etiam

advertentes, quod etsi hi credentes, re ipsa, veri sint hæretici, ac horum nomine veniant, tamen ne quis de eorum excommunicatione dubitare posset, specificè expressi sint. Inter credentes hæreticis, reputantur etiam illi, qui implicite eis credunt, idque facto, aut signo externo absque voce manifestant, v. g. qui in infirmitate hæreticum pastorem vocant, ab eoque manus impositionem pro sua consolatione, et auxilio petunt. Pirhing, loc. cit., num. 109, arg. c. *Filii*, 3, h. t., in 6, ibi: « Filii eorum, qui dum in pecto infirmi decumberent, petierunt hæreticos consolatores, ut per manus impositionem ab eis consolationem reciperent, etc. »

249. *Item eorum receptores.* — Receptores hæreticorum sunt et dicuntur illi, qui hæreticum ob causam hæresis fugientem, seque occultantem, ne in manus judicis veniat, alicubi recipiunt, et multo magis, si ad hunc finem abscondunt. Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. x, n. 10; Farinacius, *de Hæresi*, q. 182, n. 152; Layman, loc. cit.; Pirhing, loc. cit. n. 112. Nec refert, sive privata persona id faciat, sive publica, aut princeps recipiendo hæreticum in provinciam, aut civitatem, sive in propriam, sive alienam domum, quia jus quoad locum non distinguit. Sanchez, loc. cit.

250. *Defensores.* — Defensores sunt, qui quovis modo, vi aut dolo, verbis, aut calamo, hæreticorum errores, vel personas defendunt, ut etiam in hæresi manentes tuto possint vivere, aut ne in manus judicis veniant, neve ab eis puniantur; item qui ob hæresin captos, e carceribus aut manibus judicum eripiunt, eos puniri prohibent, impediunt, etc. Barbosa, in cit. c. *Excommunicamus*, 13, h. t. n. 2; Pirhing, loc. cit. n. 113; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. XV, q. 6; Sanchez, cit. cap. x, n. 18.

251. *Et fautores.* — Fautores (qui cum receptoribus subinde coincidunt) dicuntur, qui quovis modo, sive positive, sive negative auxilium, et favorem præbent hæreticis ne ob hæresin capiantur, puniantur, ejiciantur, vel ut e manibus judicum liberentur, aut poenas evadant. Sic positive favent, qui ob dictum finem dant eis auxilium, consilium, ne ob hæresin e regno, vel provincia ejiciantur, coerceantur, vel qui executionem justitiæ directe vel indirecte impediunt, dissuadent, allegando, eos esse viros probos, fieri eis injuriam, etc. vel qui directe aut indirecte præbent auxilium vel consi-

lium, ut alicubi recipiantur, in libero suæ sectæ exercitio permittantur, etc. Negative vero fovere dicuntur, qui quod contra hæreticos ob hæresin ex officio facere debent, omittunt, ut si v. g. magistratus vel alii ministri justitiæ ibi, ubi vi validæ pacis, aut tractatus non impediuntur, hæreticos capere, vel captos debite custodire, aut punire omittunt. Azorius, cit. cap. xv, q. 7; Layman, lib. II, tr. I, cap. xiv, n. 5; Sanchez, lib. II, cap. x, n. 11, et seqq. et alii.

252. *Et qui horum aliquem sepeliunt.* — Eidem excommunicationi ipso facto etiam subjacent, qui hæreticum, aut ejus fautores, receptorem, vel credentem eidem corpus in loco sacro sepeliunt, textu claro c. *Quicumque*, 2, h. t. ibi: « Quicumque hæreticos, credentes, receptores, defensores, vel fautores eorum scienter præsumperint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem excommunicationis sententiæ se noverint subjacere. » Hæc tamen excommunicatio nullibi reperitur reservata Papæ; consequenter ab ea quivis absolvere poterit, dummodo excommunicatus prius faciat, quod jus præscribit c. 2, h. t. in 6, præscribit illis verbis: « Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, et projiciant hujusmodi corpora damnatorum. »

253. *Receptores, defensores, et fautores hæreticorum sunt excommunicati, etsi sunt tales solius amicitiae, aut consanguinitatis causa.* — Resp. III. Receptores, defensores, et fautores hæreticorum excommunicationem Papæ reservatam incurrunt, etiamsi non habeant formalem et directam intentionem ideo receptandi, vel defendendi hæreticos, vel eisdem favendi, ut in sua hæresi permanere, vel eam docere, defendere, vel ulterius diffundere valeant; sed propter aliud motivum, amoris v. g. amicitiae, commiserationis, consanguinitatis, affinitatis, etc. Dummodo sua receptione, defensione, aut favore, re ipsa scienter faciant, aut impediunt, ne ob hæresin accusentur, capiantur, puniantur, aut idipsum ex officio facere omittunt, etc. Sylvester, *ŷ. Hæresis*, 1, q. 7, *ŷ. Fautores*; Ugolinus, *de Censuris Papæ reservatis*, p. 1, cap. 1, *ŷ. Receptores*, *ŷ. 1*, n. 3; Vitaldus, in *Explanat. Bullæ Cœnæ*, cum communi auctorum contra Sanchez, lib. II, cap. x, n. 5; Layman, lib. II, tr. I, cap. xiv, n. 5, arg. l. 2, ff. *de Receptat.* ubi habetur, etiam illum, qui causa consanguinitatis la-

tronem recipit, puniendum esse. Ratio vero est, quia re ipsa, et in effectu potest quis tali receptione ad conservandam, vel promovendam hæresin concurrere, adeoque vere ac proprie receptor hæretici est, quamvis id non faciat ex formali, ac directa intentione.

254. *Hæretici publici.* — Quæritur III. An, et qualiter ob hæresin quis contrahat pœnam irregularitatis? Resp. I. Omnes hæretici notorii, seu publici notorietate facti, vel juris, ipso facto sunt irregulares, ita ut nec suscipere ordines, nec susceptos exercere valeant, etiamsi convertantur, et ab hæresi absoluti sint. Communis, ac certa, arg. can. 1, et can. *Saluberrimum*, 21, cau. 1, q. 7, juncto c. 2, *ŷ. Hæretici*, et c. *Statutum*, 15, *de Hæret.* in 6, ubi hæretici redduntur inhabiles ad beneficia ecclesiastica, ad quæ etiam ordo pertinet. Porro pœna irregularitatis afficit etiam credentes hæreticis, eorumque receptores, defensores, et fautores, cit. c. 2, *ŷ. Hæretici*, et *Statutum*, h. t. in 6.

255. *Et probabilius etiam occulti sunt irregulares.* — Resp. II. Quamvis non improbabile videatur, quod nec hæreticus occultus, nec receptores, vel defensores illius sint irregulares, uti tenet Avila, p. 7, disp. 4, dub. 2; Henriquez, lib. XIV, cap. iv, n. 6; Layman, lib. I, tr. V, p. 5, cap. iv, n. 12; Farinacius, *de Hæresi*, q. 192, n. 79; Pirhing, h. t. n. 46, arg. c. *Ad abolendam*, 9, h. t. ubi sermo est de hæretico publico, ubi etiam in can. *Saluberrimum*, cau. 1, q. 7. Rationem allegant, videlicet, quia non propter hæresin solam, sed quatenus annexam habet juris infamiam, irregularitas decreta videtur in hæreticos, quæ infamia locum non habet in hæresi occulta; tamen probabilius, juriq. conformius est, etiam occultos hæreticos, receptores, defensores, etc. esse irregulares; Farinac. *de Hæresi*, q. 192, n. 68; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxv, n. 2; Sylvester, *ŷ. Crimen*, q. 2, n. 3; Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. *ŷ.*, q. 3, et cap. *xxi*, q. 8, cum communiori et veteriori aliorum; tum quia jura universaliter loquuntur: tum quia Clemens VII inquisitoribus concedit facultatem dispensandi in irregularitate ob hæresin occultam: tum quia ratio ab adversariis allata non subsistit juxta dicenda n. 276. Hinc sicut ob hæresin occultam contrahitur excommunicatio, ita et irregularitas.

256. *Hæretici omnes, eorumque receptores, defensores et fautores sunt inhabiles ad beneficia et officia ecclesiastica.* — Quæritur IV. An, et qualiter hæresis inducat pœnam inhabilitatis ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica? Resp. I. Certum est, hanc pœnam ipso facto incurrere hæreticos, et credentes eisdem, necnon receptores, et fautores eorum. Omnes, claris juribus *Quicumque*, 2, *ŷ. Hæretici*, h. t. in 6, ibi: « Hæretici autem credentes, receptores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum beneficium, seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. » Quod idem statuitur c. *Statutum*, 15, eod. in 6.

257. *Et tenentur beneficium in hæresi receptum, una cum fructibus dimittere et restituere.* — Quare collatio beneficii facta hæretico est ipso jure nulla; teneturque illud in hæresi accipiens iterum dimittere, et fructus inde perceptos restituere ante omnem judicis sententiam, hoc ipso, quod injuste, ac sine justo titulo sint recepti. Farinacius, *de Hæresi*, q. 189, n. 71; Castro Palao, *de Hæresi*, tr. IV, disp. 4, pun. 5, n. 1; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxvi, n. 4; Garcias, p. 11, *de Benefic.* cap. x, n. 72 et 80; Pirhing, h. t. n. 49.

258. *Etiamsi convertantur, et hæresin abjurent, si fuerit notorii hæretici.* — Resp. II. Hæreticus est, et manet irregularis, et inhabilis ad beneficia, et officia ecclesiastica, etiamsi hæresin abjuret, et absolvatur ab ea, saltem si fuit hæreticus manifestus, seu notorius. Palao, loc. cit. n. 2, dicens, id esse certum, Hostiensis, in *Summa*, h. t. *ŷ. Quando, et qualiter*, n. 12; Geminianus, in c. *Super eo*, h. t. et alii relati a Farinacio, *de Hæresi*, q. 193, n. 68. Ratio est, quia hæreticus notorius est irregularis per dicta supra n. 254. Irregularis autem est inhabilis ad beneficia, donec absolvatur ab ea, ergo.

259. *Num etiam occulti hæretici post conversionem maneat inhabiles, controversia est apud doctores.* — Dicitur autem notanter, saltem si hæreticus fuit notorius, quia num etiam hæreticus occultus maneat inhabilis, postquam ab hæresi conversus, et absolutus est, controvertunt doctores. uti videre est apud Farinacium, *de Hæresi*, q. 182, n. 82 et seqq. et q. 193, a n. 66, et alios doctores, quos consule. Nobis, spectando jura utpote

indistincte loquentia affirmativa videtur probabilior.

260. *Sunt insuper privati beneficiis prius obtentis.* — Quæritur V. An, et qualiter hæresis privet beneficiis et officiis ecclesiasticis prius rite obtentis? Resp. I. Certum est, beneficiis et officiis prius rite obtentis privari omnes in hæresin labentes, eorumque receptores, et defensores. Communis, et certa, arg. c. *Ad abolendam*, 9, h. t. ibi: « Omni officio, et beneficio spoliatus sæculari relinquatur arbitrio potestatis, » et c. *Ut commissi*, 12, eod. in 6, ibi: « Privandi præterea vel privatos nuntiandi dignitatibus, ac aliis beneficiis ecclesiasticis, etc. et officiis ac honoribus publicis quibuscunque eosdem hæreticos, receptores ac defensores eorumque filios et nepotes. »

261. *Ad quam tamen juxta aliquos requiritur sententia condemnativa judicis.* — Controversia autem est inter doctores, utrum in hæresin lapsus ipso jure sit privatus, vel primum per sententiam judicis condemnatoriam privandus? Hanc posteriorem partem tenent Vasquez, 1, 2, disp. 172, cap. II, n. 11; Alphonsus de Castro, lib. II, *de Justa hæret. punitione*, et alii apud Castro Palao, tr. IV, disp. 4, pun. 4, n. 3, ex illo fundamento, quod, quando dubium aut controversia est, an pœna aliqua ipso jure censeatur inflictæ, an vero per judicis sententiam infligenda, benigniorem sententiam oportet eligere, arg. c. *In pœnis, de Reg. jur.* in 6, atqui dubium et controversia est, num beneficiorum prius rite obtentorum pœna ipso jure incurratur, an vero per sententiam judicis infligenda veniat, præsertim, quia etiam c. *Ut commissi*, dicitur, vel privatos nuntiandi; ergo. Quibus non obstantibus.

262. *Sed verius est, eam non requiri.* — Resp. II. Qui in hæresin labuntur, eorumque receptores et fautores ipso jure beneficiis, et officiis ecclesiasticis privati existunt; Farinacius, *de Hæresi*, q. 189, n. 77; Garcias, *de Beneficiis*, p. 11, cap. x, n. 66; Gonzalez, *de Regul. cancellar.* glossa 15, n. 63; Sanchez, lib. II, cap. xxvi, n. 6; Flaminius, lib. III, q. 1, n. 31; Castro Palao, loc. cit.; Covarruvias, *Variar. resolut.* cap. VIII, n. 4; Sanchez, lib. II, *Moral.* cap. xxvi, n. 6, cum communiori, et probabiliori aliorum, arg. c. *Ad abolendam*, h. t. ubi per ly spoliatus actualem privationem ab ipso jure impositam denotari, satis liquet; et c. *Ut commissi*, 12, eod. in 6.